

iste contenderit sic esse fractum, ut nihil ibi residui fieret, nitens adversus veritatem Evangelii; quanto melius et religiosius contendit alius non esse ita fractum, ut totum effunderet, nitens pro veritate Evangelii? Ille autem calumniator si tam pertinaciter cæcus est, ut Evangelistarum concordiam de alabastro fracto frangere conetur, prius accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret, unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum effunderet. A capite quippe nobis ordinate consuli agnoscimus, sed ordinate etiam nos a pedibus ad caput ascendimus.

CLVI. Cætera facti hujus nullam mihi videntur habere quæstionem. Quod enim alii dicunt Discipulos murmurasse de unguenti effusione pretiosi, Joannes autem Judam commemorat<sup>1</sup>, et ideo quia fur erat: manifestum puto esse Discipulorum nomine eundem Judam significatum, locutione illa quam de Philippo in quinque panibus insinuavimus<sup>2</sup>, plurali numero pro singulari usurpato. Potest etiam intelligi quod et alii Discipuli aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthæus et Marcus etiam verbis expresserint; sed Judas propterea dixerit, quia fur erat, cæteri vero propter pauperum curam; Joannem autem de solo illo id commemorare voluisse, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 8, Marc. xiv, 4, et Joan. xii, 4. — <sup>2</sup> Vide supra cap. xlvi, n. 96.

## CAPUT LXXX.

*Discipuli missi ut præparent manducare Pascha.*

CLVII. SEQUITUR Matthæus: « Tunc abiit unus de » duodecim qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis » eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos, » etc. usque ad illud, ubi ait: « Et fecerunt Discipuli sicut » constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha<sup>1</sup>. » Nihil in hoc capitulo contrarium putari potest Marco et Lucæ, qui hoc idem similiter narrant. Quod enim dicit Matthæus, « Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister » dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha » cum Discipulis meis, » eum significat quem Marcus et Lucas dicunt patremfamilias vel dominum domus, in qua eis coenaculum demonstratum est, ubi pararent Pascha: quod ergo interposuit Matthæus, « Ad quemdam, » tanquam ex persona sua studio brevitatis illum compendio voluit insinuare. Si enim diceret dixisse Dominum, Ite in civitatem, et dicite ei, Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha: tanquam civitati dicendum esset, acciperetur. Ac per hoc non ex Domini, cujus mandatum narrabat, sed ex sua persona interposuit, ad quemdam jussisse Dominum ut irent, ne haberet necesse totum dicere, cum hoc illi ad insinuandam jubentis sententiam sufficere videretur. Nam neminem sic loqui, ut dicat, Ite ad quemdam, quis nesciat? Si enim diceret, Ite

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 14-19, Marc. xiv, 10-16, et Luc. xxii, 3-13.

ad quemcumque, aut, ad quemlibet; posset esse integra locutio, sed non esset certus homo, ad quem mitterentur<sup>1</sup>: cum eum certum ostendant, quamvis tacito ejus nomine, Marcus et Lucas<sup>2</sup>. Sciebat quippe Dominus ad quem mitteret. Et ut eum etiam illi, quos mittebat, invenire possent, præmonuit quod indicium sequerentur, de homine gestante aquæ lagenam vel amphoram, ut eum secuti, ad domum, quam volebat, venirent. Cum itaque non hic posset dici, Ite ad quemlibet, quod integritas quidem locutionis admittit, sed hoc loco rei hujus quæ insinuabatur veritas non admittit: quanto minus hic dici potuit, Ite ad quemdam, quod omnino nunquam recta locutione dici potest? Sed plane Discipulos a Domino, non ad quemlibet, sed ad quemdam hominem, id est, ad certum aliquem missos esse manifestum est. Quod nobis ex persona sua recte potuit Evangelista narrare, ut diceret, Misit eos ad quemdam, ut dicerent ei, Apud te facio Pascha. Potuit etiam sic, Misit eos ad quemdam dicens: Ite, dicite ei, Apud te facio Pascha. Ac per hoc cum verba Domini posuisset dicentis, « Ite in civitate; » interposuit ipse, « ad quemdam: » non quia hoc Dominus dixerit, sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine fuisse quemdam in civitate, ad quem Domini Discipuli mittebantur, ut præpararent Pascha. Ac sic post hanc ex persona sua interpositionem duorum verborum, sequitur ordinem verborum Domini dicentis, « Et dicite » ei, Magister dicit. » Jam enim si quæras, Cui? Recte respondetur, Illi cuidam homini, ad quem misisse insinuavit Evangelista, cum ex persona sua interposuisset, « ad quemdam: » minus quidem usitata locutio, sed tamen sic intellecta integerrima est: aut si aliquid proprie-

<sup>1</sup> Hæc difficultas locum non habet in græco πρὸ τὸν δαίνα. Gall. chez un tel. — <sup>2</sup> Marc. xiv, 13, et Luc. xxii, 10.

tatis hebræa lingua, qua perhibetur scripsisse Matthæus, ut etiam totum ex persona Domini dictum locutionis integritate non careat, viderint qui noverunt. Sane ita posset etiam latine dici, si diceretur, Ite in civitatem ad quemdam, quem vobis demonstraverit homo, qui vobis occurrerit lagenam aquæ portans: hoc modo jubenti sine ambiguitate posset obtemperari. Velut etiam si diceret, Ite in civitatem ad quemdam, qui manet illo aut illo loco, in tali vel tali domo; cum expressione loci et designatione domus; posset intelligi, posset fieri. His autem atque hujusmodi cæteris tacitis indiciis qui dicit, Ite ad quemdam, et dicite ei, ideo non potest audiri, quia certum aliquem vult intelligi, cum dicit, ad quemdam, et non exprimit quomodo dignoscatur. Quod si ex persona Evangelistæ dictum illud interpositum acceperimus, erit quidem necessitate brevitate subobscura locutio, sed tamen integra. Quod vero Marcus lagenam dicit, quam Lucas amphoram<sup>1</sup>; ille vasis genus, ille modum significavit: uterque tamen veritatem sententiæ custodivit.

CLVIII. Sequitur Matthæus: « Vespere autem facto » discumbebat cum duodecim Discipulis: et edentibus illis » dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? » etc. usque ad illud ubi ait: « Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit: » Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti<sup>2</sup>. » In his quæ consideranda nunc proposuimus, nihil afferunt quæstionis etiam cæteri Evangelistæ, qui talia commemorant<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Marc. xiv, 13, et Luc. xxii, 10. — <sup>2</sup> Matth. xxvi, 20-25. — <sup>3</sup> Marc. xiv, 17-21, Luc. xxii, 14-23, et Joan. xiii, 21-27.